Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1667) Lieg 1367

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 23. Decembris.

M. CLAUDIO DE FRADES, Doctore Medico, Præside.

An Senum febribus intermittentibus curandis blandiora purgantia?

ÆTATIS senilis, suspenso & tacito venientis gradu, Ars præses salutis humanæ potissimùm curam suscipit; huic, quæ prosunt ad duram ejus miseriam sustentandam, subministrari; quæ impendent noxia, circumspici & procul arceri; quæ plurimis affectibus, quibus est exposita, sanandis, subsidio venire possunt, in usum adhiberi constituit: eâ enim ætate provectum, si corpore debilem & infirmum Natura voluerit, hunc tamen majestate plenum, animi viribus præstantem, authoritate & prudentiâ, ut maximâ senectutis dote conspicuum, ad gravissima quæque munera reipublicæ gerenda destinavit, in hoc Juniore sapientiorem, quod tum animi motibus sit liberior, minusque suæ mancipatus libidini, tum ob præclarum rationis munus nunquàm divinius, & experientiam rerum magistram πάλαι τε πολλά τε εἰδώς, minus erroribus sit obnoxius: atque, ut esse phœbi dulcius lumen solet jamjam cadentis, & quemadmodum arbos annosa palato gratiores fructus producit, sic quoque Senex in seris annis factus melior, suum & perfectum bonum tunc in lucem proferat. Verum, si homo est bulla, quantò magis Senex, qui, præter ætatis injuriam, febribus præterea opportunus est, quarum flammas extinguere hoc opus hic labor est; iis curandis ætas hæc ingravescens aptiora & tutiora medicamenta postulat, cui illa sæpè non conducunt ex auxiliorum manu deprompta atque mutuata, quorum vim & impetum florens ætas, calore vigore robore laudanda, facilè posset & utiliter sustinere.

FEBRIS communis luës, cujus latè patet imperium, est intemperies calida cordis, cum quo totius corporis partes consentiunt, æstuant, & in suo turbantur officio: hostili modo sævit in Principes non minus quam in infimos, nec Senum immemor, licet ob propè jam excursum vitæ spacium, maturo sint propiores funeri, eos etiam miserabiliter macerat: huic litare tanquam Divæ tanquam Sacræ Romanorum more, quid aliud est quam perverso Dæmoni sacra facere, qui vitæ parat insidias, hanc execrari magis quam consecrare decebat, quæ nempè solet arcem vitæ circumvenire, in qua tanquam in proprio domicilio stationem locat, non ut tutetur & servet, sed ut vastet & destruat. Fallitur, qui calorem febrilem diversum esse specie à nativo contendit; & licet is naturæ amicus sit & familiaris, servator & vitæ sospes, febrilis vero infensus & exitiosus, confector & consumptor; unus tam idemque calor est, qui diversa præstat munia, intentione solâ distinctus, dum à temperato in intemperatum seu igneum & peregrinum vertitur. Futilis est & vana hujus cogitatio, qui statuit & censet febrem nequaquam esse calorem, quod hujus aliquando frigus sit comes, quem ita opinantem æstus immodicus febricitantium, pulsus frequentia, difficilis spiritus, arens sitis, urinæ flammeæ, linguæ siccitas & scabrities, suligo qua inficitur, ignis præsentiæ non convincunt, hujus incendio jure mulctandus, sicut reputandus est jovis irâ dignus, qui fulmen non esse igneum pronuntiaret, quod sæpius grandine stipatum è cælo prorumpat.

QUÆVIS febris intermittens, quæ ferè omnis est secura periculi, ortum ducit ab humoribus qui in viscribus nutritiis primam labem contraxerunt, ita ut vix citra ventriculi ejusque orificii noxam quotidianas fieri constet, ut vix sine lienis malè habentis vitio, quartanas, nec sine aliqua jecoris offensione tertianas unquam existere; à quibus partibus tanquam focis primariis, in mesenterium, omentum, pancreas, ut communes & publicas sedes, excipiendis earum partium colluvionibus dicatas, humor putredinis vitio labefactatus constituit cumulaturque, qui tum earum venulis contentus concluditque, & arctioribus velut cancellis circumseptus, tum etiam extra venas prope ventriculum, hepatis cava, lienem, & alias partes vicinas dispersus collectusque, fumos ejusdem indolis defert ad cor, cui flammeam hanc dispositionem inurit: vitiosus is humor pro suo more & ingenio speciem febris intermittentis creat & designat, quæ quamvis omnin desinat in ἀπυρεξίαν seu integritatem, & aliquid solatii perillud intermissionis intervallum æger percipiat, nova tamen de novo cum redivivo fomite seges, vel superstiti succrescens, novam accessionem producit, quæ non antè cessat, quam in suo foco fuerit absumpta, aut expurgata tum per sudores, tum per spontaneam naturæ evacuationem, aut Medici operâ subsidiariâ procuratam, qui, ut hujus operum æmulus impiger, temperatam præparatam & excoctam materiam febrilem purgantium idoneorum beneficio foras eliminare tentat.

PURGANTIA pharmaca ea sunt quæ agendo substantiam nostram immutare perhibentur. An ignis chymici operâ puriora evadant & à fecibus purgatiora, non immeritò cadit in controversiam? Nec enim levis est suspicio, ea potius hac arte instrui pulchrè ad perniciem: quæ desumuntur à plantis, ut magis cocta & elaborata, atque ob vitam communem, majorem nobiscum habentia cognationem, præponenda ins, quæ à mineralibus, hæc quippè in purgantium familiam jure an injuriâ irrepserunt: omnia participant aliquid perniciosæ facultatis, faceffunt naturæ negotium, & visceribus maximèque ventriculo sunt infesta; eorum quoque hæc est insita vis & vernacula, ut humores trahant expurgandos, & cum habeant adjunctam acrimoniam seu ἐρεθισμὸν, hujus doris beneficio, prolectos & sibi copiâ vel facultate molestos, exoneratæ partes ejiciunt susque deque. Duplicis sunt ordinis, alia blandiora, alia vero vehementiora: hæc eximio quo possent calore & virtute, humores & spiritus acriùs accendunt, concitatiùs movent, graviùs turbant, corporis vim penè omnem frangunt & diruunt, terrendaque symptomata afflicti nativi caloris argumenta crebernimè invehunt; illa nihilominùs cedunt in usum, & appositè rectèque præscribuntur à Medico artis suæ perito, qui ferio inspicit & observat temperamentum, ætatem, sexum, occasionem ut curationis animam, aliasque indicationes, non ab eo qui Medici personam mentitur, & cui convenit nomen agyrtæ & circumforanei, hic etenim minùs rerum naturæ satagit, ejusque motuum prorsùs ignarus, ἀνεμβάτως & temerè nimis, ea medicamenta laborantibus obtrudit, eventum omnem casui fortunæque tribuens, & plus satis audax atque inhumanus porrigit aliis, quæ sibi consulens nec citra terrorem vellet usurpare, cùm tamen audacia sit seu fortitudo in proprio periculo non terreri, in alieno vero timere, humanitas.

PARUM attentus est ad salutem Senum, qui valida & effrenata purgantia eorum febribus intermittentibus curandis promiscuè præscribit; iis nulla fides, horum impetus natura senilis delicatula & effœta ferre recusat, quibus agitata, ad instar caducæ & ruinosæ domus instaurando fortè concussæ mox tota corrueret, ipsius opibus ob ætatis vitium admodum prostratis: tractari molliùs ætasimbecilla cupit, & potiores hujus officii partes jure veniunt deferendæ blandioribus, quæ benigni succi & visceribus magis amici & salutaris aliquid in se continent, & ad alimentorum naturam propius accedunt, quæ leniter & absque periculo notabilique virium dispendio purgant, privata insuper calore colliquante minus vorace & deprædante, insinuant sese & intrudunt facilius in abstrusiores partium recessus, in quibus fons est & minera earumce febrium, quarum parentem materiam febrilem, non tenuem dumtaxat & ad fluendum aptiorem, sed crassam simul lentam & tenacem, obstructionum contumacium & diuturnitatis morborum authorem invadunt, ac benè penitus subeunt & diluunt, quæ beneficio coctionis prius reddita tractabilior, sequitur vim blandam medicamenti purgantis: sic hujus fomitis accedente ruinâ, ac subductò febris pabulo, natura non amplius impedita ad sanitatem pristinam revertitur; adeo ut in præcavendis effrenatis purgantibus, summa Medentis splendescat industria, in usurpandis blandioribus, Senis febrientis salus, altos quasi prætervecta scopulos, securior constet.

Ergo Senum febribus intermittentibus curandis blandiora purgantia.

...P. BIBLIOTHEQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Lombard.
M. Philippus Mathon.
M. Raimundus Finot.
M. Robertus Raoult.
M. Matheus Thuillier.
M. Joannes Baptista Ferrand.
M. Joannes de Bourges.
M. Michaël de la Vigne.
M. Petrus Perreau.

Proponebat Parisiis JOANNES DAVAL, Augæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1683.